

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

## **I. Übersetzung**

### **Das Folgende spielt im Jahre 449 v.Chr.**

- 1 Idus Maias venere. nullis subrogatis magistratibus privati pro decemviris neque animis  
ad  
2 imperium inhibendum inminutis neque ad speciem honoris insignibus prodeunt. id vero  
3 regnum haud dubie videri. deploratur in perpetuum libertas, nec vindex quisquam existit  
4 aut futurus videtur. nec ipsi solum desponderant animos, sed contemni coepti erant a  
5 finitimis populis imperiumque ibi esse, ubi non esset libertas, indignabantur. Sabini  
magna  
6 manu incursionem in agrum Romanum fecere lateque populati, cum hominum atque  
7 pecudum inulti praedas egissent, recepto ad Eretum, quod passim vagatum erat, agmine  
8 castra locant spem in discordia Romana ponentes: eam impedimentum dilectui fore. non  
9 nuntii solum, sed per urbem agrestium fuga trepidationem iniecit. decemviri consultant,  
10 quid opus facto sit, destituti inter patrum et plebis odia. addit terrorem insuper alium  
11 fortuna. Aequi alia ex parte castra in Algido locant depopulanturque inde excursionibus  
12 Tusculanum agrum. legati ea ab Tusculo praesidium orantes nuntiant. is pavor perculit  
13 decemviros, ut senatum simul duobus circumstantibus urbem bellis consulerent. citari  
14 iubent in curiam patres haud ignari, quanta invidiae immineret tempestas: omnes vastati  
15 agri periculorumque imminentium causas in se congesturos, temptationemque eam fore  
16 abolendi sibi magistratus, ni consensu resisterent imperioque inhibendo acriter in paucos  
17 praeferocis animi conatus aliorum comprimerent. postquam audita vox in foro est  
18 praeconis patres in curiam ad decemviros vocantis, velut nova res, quia intermiserant  
iam  
19 diu morem consulendi senatus, mirabundam plebem convertit, quidnam incidisset, cur  
ex  
20 tanto intervallo rem desuetam usurparent: hostibus belloque gratiam habendam, quod  
21 solitum quicquam liberae civitati fieret. circumspectare omnibus fori partibus senatorem  
22 raroque usquam noscitare: curiam inde ac solitudinem circa decemviros intueri, cum et  
23 ipsi consensu invisum imperium, et plebs, quia privatis ius non esset vocandi senatum,  
24 non convenire patres interpretarentur; iam caput fieri libertatem repetentium, si se plebs  
25 comitem senatui det et, quemadmodum patres vocati non coeant in senatum, sic plebs  
26 abnuat dilectum. haec fremunt plebes.

## **II. Sprachliche Erläuterungen**

1. Die Satzkonstruktionen mit historischem Infinitiv sind im lateinischen Text zu unterstreichen.

2. Wie wird die Konstruktion mit dem historischen Infinitiv in der modernen wissenschaftlichen Grammatik erklärt?
3. Die Bedeutungen der Wortgruppe **vindex** - **vindicare** und ihr semasiologischer Zusammenhang mit der Grundbedeutung.